

culum) *imaginem solidi* fatetur. Scilicet hinc genuinæ Tetractyos vim subolens unitatem puncto . binarium lineis — ternarium superficiebus Δ quaternarium solidis Δ respondere, quod Excellentissimus Autor noster in Tetracty suâ reali clariùs ostendit, veluti per transfennam videre videtur, & quasi nescius agnoscere, quod non opus sit, ut pro Tetracty numericâ rebus applicandâ progressionibus illis utamur; sed sufficiat ipsam radicalem Tetractyn 1. 2. 3. 10. exactiùs inspexisse; nam ad oculos statim apparet, arctissimam inter hanc & inter genera quaternalia rerum tantum non omnium analogiam intercedere, quam uti sæpius laudatus Autor noster hinc cum Arithmetica tetractyca Synopsi tantum intimari voluit; ita pluribus eam in suâ, quæ nunc sub prælo sudat, Pantologia, sive Metaphysica Panosophica, prosequetur.

Clariùs adhuc, quæ de Tetracty Pythagorea diximus, reliqui veterum confirmant, & imprimis, quod Tetractys non rem quandam improprie numericam, nempe mysticam ut nonnulli putant, sed propriam certi Numeri rationem importet, ipsumque quaternarium tanquam numerum dicat, tum formaliter & abstractè consideratum, quatenus omnium numerorum perfectissima Radix est, & supputationibus immensum subsidium largitur; tum materialiter & concretè spectatum, quatenus fons & Radix est Idearum, h. e. omnium à rebus abstractorum generum & specierum, ipsisque scientiis realibus opem fert incredibilem; præter Themistium Phys. c. 3. Sextus Empiricus adversus Mathem. l. 4. clarissimè testatur, ubi $\omega\sigma\tau\epsilon$ inquit, $\epsilon\iota\chi\omicron\tau\alpha\varsigma$ τὸν πῶτα ἀριθμὸν ὡς τὰ τοῖς πυθαγορείοις $\epsilon\iota\sigma\tau\omicron\tau\epsilon$, πηγὴν αἰωνίαν φύσιν ἔχουσαν, ut merito apud Pythagoricos quaternarius NUMERUS dictus sit fons, qui nature sempiterna radices habet. Quod si DEUS, juxta nomen suum

(malus)

tetra-